



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censuris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

7 Peccatum vnum committit pluries post fornicationem osculans.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

de alijs peccatis, quorum numerum ex prænarrata ignorantia nunquam expressit, & penitens eundem verisimilem numerum peccatorum, quem in alijs confessionibus confessus non sit, confiteri tenetur vt patet per Conc. Tri. sess. 14. c. 5. can. 7. & Nau. in Man. c. 6. nu. 16.

DECISIO V.

Ex consil. 3. alias 3.

Iniuriam passus quamuis odium, & rancorem malum, non tamen iniuriarum actionem ex præcepto remittere tenetur, ex Gl. in ca. si quis contristatus. d. 90. sed neque iniurios amore speciali amare, aut pro ipsis specialiter orare, aut specialis amoris signa eis monstrare, loquendo, conuersando, & alia similia exhibendo, extra casum necessitatis extrema tenetur: vt ait S. Tho. 2. 2. q. 25. ar. 8. & 9. vnde & iniuriam post oblatam satisfactionem remittere renuens absolui debet ex Caic. 2. 2. q. 25. ar. 8. & 9. nisi ex non remittendo iniuriam scandalum aliquod oriretur, aut euidens periculum concipiendi odium & rancorem contra iniuriantem ad quæ uitanda tenetur iniuriam passus de necessitate salutis sue, & nolens id facere confessarius illum absolueri non debet, sicut iure naturali ieiunare tenetur is, qui probabiliter credit se a carnis tentatione victum iri, nisi fei ieiunio præmunit, vt colligitur ex S. Th. 2. 2. quest. 137. art. 3.

DECISIO VI.

Ex consil. 6. alias 5.

Pvella quæ meliorem non reperit conditionem, ponente mercede mentrua, rāquam serua meretrici publice inferuire cogitur, sine peccato, obsequia meretrici, aut alicui alteri peccatori præstare potest, dummodo peccatum illius ipsi non placeat, & obsequia prædicta ob aliquem bonum finem faciat, puta, vt de re, & opera & industria sua, pretium, vel iustam mercedem sibi querat, ex qua honeste viuere possit. Quamuis enim huiusmodi obsequia, & officia peccato valde coniuncta sint non tamen in sese, & supra natura peccata sunt, & ideo ab omni peccato per finem diuictum, & feiunctum separari possunt, ratione cuius ea licite illi præstare queat. ex Nau. in Man. c. 27. nu. 195.

DECISIO VII.

Ex consil. 7. in vtrisque.

Qui cum amica fornicatur, & postea delectationis causa eam multoties deoscularur, sine intentione tamen iterum fornicandi, semel tantum peccare videtur quoad necessitatem confitendi numerum, eo quod illæ omnia oscula consequentia solum fornicationis iam habitæ videntur, vt ait Nau. in Man. c. 6. nu. 8.

DECISIO VIII.

Ex consil. 8. alias 10.

Quilibet Christianus eo ipso quod Christianus est sci re debet ad decem si dei articulos, & decem præcepta decalogi, & sancta generalia ecclesiæ præcepta, quod si aliquod officium habet, vel statum, tenetur etiam ea discere quæ ad prædictam officium, vel statum necessaria sciunt de præcepto: vel saltem viros doctos, & consiliarios literatos secum habere quoad illas res, in quibus alienum consilium sufficit.

DECISIO IX.

Sciens omnia requisita ad statum suum, si aliquem actum faciat qui est peccatum mortale, quem tamen ipse ex ignorantia mortale esse nesciat, a peccato mortali communiter excusatur, nisi fuerit ignorantia alicuius iuris naturalis vel humani, quod omnes suæ conditionis, ætatis, & status sciunt, vel scire tenentur.

DECISIO X.

Subditus, qui dubitat aliquem actum esse mortalem, superiores suos, scilicet Episcopum, vicarium eius, vel parochum, seu confessarium consulendo, conscientia sua non satisfacit, si illos ita ignorantes esse credat, vt illius dubio satisfacere nesciant, secus tamen si bona fide, illos sufficientem scientiam habere credat: tunc enim non peccat etiam si dubium suum ab alijs peritiis non interroget, casu etiam, quod alij doctiores reperiantur, cum nemmo in dubijs suis doctiores semper consulere tenetur, sed sufficit idoneus ad ea dissoluenda consulere; maxime si superiores sint, quia pauci sunt eminentes reperi. Immo Theologum vnum qui in loco illo bonus, & doctus communiter reputatur, consulere sufficit.

DECISIO XI.

Consulens varios Doctores, in quibus notabilis excessus in doctrina, & virtute non cognoscitur, si ipsi inter se diuersæ opinionis sint, potest ipse quamcumque velit eligere, dummodo eam quam eligit, probabiliorem, & rationi magis conformem arbitretur.

DECISIO XII.

Consulens vnum Doctorem de dubio, si consultus respondeat duas esse de illa re opiniones contrarias, quarum vtraque iuste teneri queat, potest consulens, quæ voluerit illarum sequi: Sin autem consultus respondeat vnam illarum opinionum esse veram, & alteram non, etiam si sit communis, tenetur consulens eam sequi, quam Doctor consultus definit esse veram, si aliunde ipsi contrarium non constat; Quia cum consilium petat, ad illud sequendum, si aliud melius non inuenierit, obligatur, nec potest suo iudicio opinionem, quam consultus falsam esse iudicauit, tenere, & sequi.

DECISIO XIII.

Qui actionem aliquam facere vult & tempus illi deest ad consulendum aliquem Theologum de modo, quo illa sine peccato mortali facere debeat verè dubius sit, ita vt non magis in vnam, quam in aliam partem inclinet, illam, donec dubium deponat, facere non debet, & faciendo mortaliter peccat: Sin vero ex aliqua ratione in vnam potius quam aliam partem inclinet scrupulum deponere potest & quod sibi bonum videtur facere sine alia consultatione, defectu commoditatis ad consulendum.

DECISIO XIV.

Ex consil. 9. alias 1.

Qui confessus est Sacerdoti quem auctoritatem habere putauerit, cum tamen verè non habuerit, postquam id restituerit, eisdem confessione reiterare tenetur, procurando si possit, quod prædicto confessario facultas fiat confessionem eius audiendi, qua obiecta, satis re confiteri ei omnia peccata quæ antea erat confessus tibi, & præterea addat, quæ postea commisit; & satis est quod confessarius prædictus meminerit illa peccata, vel penitentia, quam pro eis imposuit, vel quod paulo plus aut minus recorder statum vite eius in alijs confessionibus ex Nau. in Man. c. 9. nu. 16.

DECISIO XV.

Ex consil. 10. alias 13.

Qui vnum, vel alterum tantum peccatum confitetur, ita vt a confessario intelligatur, & omnia confiteri velit, & conetur id facere, licet nõ possit proferte propter lingue ignorantiam, ita vt confessarius alia intelligere nequeat ab omnibus peccatis Sacramentaliter absolui potest, vt affirmat Nau. in Man. c. 21. nu. 36.

DE.